

eam uti martyrem honorare cultu publico, quia talis actio, seposita speciali inspiratione, est illicita.

II. Disciplina autem ecclesiastica non pertinet ad objectum infallibilitatis, nisi habeat pro se iudicium Ecclesiae universalis, aut iudicium Papae ad universalem Ecclesiam directum; quia, ex dicendis, solis iudiciis huiusmodi infallibilitas competit. Haec porro disciplina est, vel praeceptum ecclesiasticum, vel praxis aliqua usu recepta, quamvis non obligatoria.

Quibus positis, dicendum est in rebus disciplinae tria esse consideranda: 1° veritas in qua, tanquam principio, talis disciplina nititur; v. g. praeceptum communionis sub unica specie nititur hoc principio, quod Christus aequae sub unica specie continetur; item, usus invocandi Sanctos supponit eos pro nobis intercedere in coelis; 2° res ipsa quae praecipitur aut approbatur; 3° utilitas quam Ecclesia intendit ex re quae praecipitur aut approbatur, v. g. servandi SS. Sacramento reverentiam per communionem sub unica specie panis. — Jam vero, sub triplici praedicto respectu, res disciplinae pertinent ad objectum infallibilitatis:

1° Ecclesia nunquam errat circa veritatem in qua, tanquam principio, aliqua disciplina nititur; quia talem disciplinam praecipiendo aut approbando, implicite profitetur et definit praedictam veritatem. Sic v. g. ex exorcismis qui fiunt supra infantes baptizandos, merito concluditur eos esse sub potestate diaboli.

2° Ipsa res quae praecipitur aut approbatur pertinet, eo sensu saltem, ad objectum infallibilitatis, quod Ecclesia nunquam jubeat aut permittat ut operemur aliquid malum, nec unquam prohibeat id quod esset

absolute et ex omni parte bonum. Ecclesia enim aliquid jubendo aut approbando, practice definit id quod jubet aut approbat esse bonum, et aliquid prohibendo, declarat id esse malum sub aliquo saltem respectu. — At minime necessarium est, ut Ecclesia semper id praecipiat quod est optimum; nec enim Deus ita praecipit.

3° Utilitas demum alicujus disciplinae, in ordine ad finem quem intendit Ecclesia, certo pertinet ad objectum infallibilitatis, modo sumatur universaliter. Nisi enim alicujus disciplinae observatio haberet hanc utilitatem, jam deesset ratio praecipiendo aut approbandi; at certe praecipiendo aut approbando, Ecclesia implicite definit se habere justam praecipiendo aut approbandi rationem.

Non repugnat tamen in aliquo casu particulari deficere disciplinae utilitatem. Tunc, vel cessat praeceptum propter incommoda, vel adest ratio sufficiens ab eo dispensandi. Quidquid sit, Ecclesia disciplinam aliquam statuendo aut probando, non attendit ad casus particulares, sed ad generalem fidelium utilitatem.

QUAESTIO V^a

Utrum Ecclesia infallibiliter judicet de factis dogmaticis aut moralibus?

384. Resp. Praemittenda est facti dogmatici et moralis definitio. Factum dogmaticum, ut sic, est factum non revelatum, sed cum dogmate ita nexum, ut illius facti cognitio necessaria sit ad dogma edocendum, vel purum tutumque conservandum. — Factum morale, ut sic, est factum non revelatum, sed quod cum moribus ita nectitur, ut cognitio ejus necessaria sit ad

principia morum in tuto ponenda, vel ad ipsos fidelium mores puros conservandos. — Factum aliquod potest esse simul dogmaticum et morale, si nempe, modo indicato, cum dogmate simul et cum moribus connectatur.

Hinc, uti jam diximus, legitimitas talis Romani Pontificis, aut talis concilii oecumenicitas, sunt facta dogmatica ac moralia; nisi enim supponantur certa, jam nutabit auctoritas definitionum dogmaticarum, necnon legum ecclesiasticarum quae ab illo Pontifice aut ab illo concilio prodierunt. Inde omnes concedunt circa hujusmodi, iudicium universalis Ecclesiae non posse esse falsum.

De caeteris autem factis dogmaticis ac moralibus sequentia statuenda sunt.

385. Dico 1° : *Ecclesia infallibiliter iudicat de sensu sive dogmatico sive morali verborum, a se vel aliis, tum viva voce tum scripto, adhibitorum.*

I. Res patet et a nemine negatur, quoad verba quibus ipsamet auctoritas docens utitur ad res fidei aut morum exprimendas, id est: auctoritas docens non tantum infallibiliter iudicat talem sensum esse fidei consonum, quod pertinet ad quaestionem *juris* et directe includitur in infallibilitate doctrinali, sed etiam haec vel illa verba a se adhibita habere talem sensum quem intendit exprimere, quod pertinet ad quaestionem *facti*, de qua nunc agitur. Veritas autem assertionis ex eo probatur, quod infallibilitas circa doctrinam ipsam finem suum non attingeret, sine infallibilitate in delectu verborum quibus magisterium exprimitur. Ad quid enim prodesset fidelibus auctori-

tatem docentem recte sentire interius, si exterius non recte loqueretur?

II. Quoad verba quibus alii utuntur ad res fidei aut morum exprimendas, et spectata sola quaestione *facti*, nempe: an talem vel talem sensum dogmaticum aut moralem habeant, nulla etiam est controversia ubi agitur 1° de simplicibus propositionibus, sive veris, sive falsis; 2° de libris aut scriptis quae iudicantur ab omni errore circa fidem et mores immunia.

In primo casu, infallibilitas Ecclesiae satis liquet ex ejusdem praxi, qua saepe saepius propositiones damnavit; tunc enim pronuntiavit eas exprimere sensum falsum, ac proinde earundem contradictorias exprimere sensum verum. Ergo sibi jus vindicavit cum auctoritate, id est infallibiliter, iudicandi de sensu dogmatico et morali propositionum.

In secundo casu, valet idem argumentum. Concilium enim Tridentinum definivit versionem Vulgatam et Canonem Missae nullum continere errorem circa fidem.

III. Utrum vero Ecclesia sit infallibilis, ubi aliquem librum damnat, iudicando eum doctrinam circa fidem aut mores erroneam continere? Jansenistae negant. Unde, damnatis quinque propositionibus Jansenio attributis, utpote ex ejusdem libro *Augustinus* depromptis, huic sententiae subscripserunt, quatenus per eam decernebatur illas esse haereticas; sed eidem sententiae, quatenus asserebat eas realiter in libro Jansenii esse contentas, non acquieverunt interius, dixeruntque huic iudicio deberi solummodo silentium obsequiosum.

Hujus sententiae falsitas constat 1° ex concessis adversariorum, 2° auctoritate, 3° ratione.

1° *Ex concessis adversariorum.*

a) Concedunt Ecclesiam esse infallibilem in dam-
nandis propositionibus; ergo in iudicando earumdem
sensu dogmatico aut morali. Quare igitur non poterit
infallibiliter iudicare de sensu libri, siquidem liber non
est aliud quam propositionum series?

b) Concedunt Ecclesiam infallibiliter iudicare de
sensu dogmatico et morali libri alicujus, quando de-
clarat eum ab omni errore circa fidem et mores in-
noxium. Et haec est causa cur doctrinae libri *Augus-
tinus* tenacius adhaereant, quia iudicant ejus sensum
dogmaticum, alium non esse ac sensus S. Augustini,
cujus opera, ut aiunt, Ecclesia infallibili iudicio ap-
probavit. At si Ecclesia infallibiliter libros iudicavit
S. Augustini continere veram doctrinam, cur infalli-
biliter non potuerit iudicare librum *Augustinus* con-
tinere doctrinam doctrinae S. Augustini non confor-
mem, sed falsam? Nonne aequaliter intersit, ut pastores
Ecclesiae ovibus suis denuntient pascua mortifera,
quam ostendant salubria? Quinimo, nonne etiam ma-
gis intersit; cum homines ex innata corruptione na-
turae, plus ad libros perversos legendos impellantur
quam ad sanos?

2° *Ex auctoritate.*

a) Saepius Ecclesia scripta nonnulla proscripsit ve-
luti erroneam ac perniciosam doctrinam continentia.
Sic, a Conc. Nicaeno damnatus est liber Arii, cui titu-
lus *Thalia*; a Conc. Eph., scripta Nestorii; a Conc.
Constantin. II, tria Capitula, nempe scripta Theodori
Mopsuesteni, Theodreti et Ibae.

b) At celebratior fuit iterata condemnatio quinque
propositionum Jansenii, quas proscripsit Innoc. X *in*

sensu Jansenii prout jacet in suo libro *Augustinus*; item Alex. VII, exigens ut Jansenistae, formularium obedientiae subscribendo, jurarent se sincero animo damnare et rejicere quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro excerptas, et *in sensu ab eo intento*; item Clemens X, in Bulla *Vineam Domini*, declarans Apostolicis Constitutionibus non satisfieri obsequioso silentio. Circa illas Pontificum voces: *in sensu Jansenii, in sensu ab eo intento*, notabis per eas indicati sensum propositionum esse illum, quem totus naturalis libri contextus refert, et qui ab Ecclesia semper supponitur ab auctore intentus, quamvis de hoc facto personali non intendat iudicare. Quidquid sit, ex praefatis condemnationibus, liquet a Romanis Pontificibus praescriptum esse, ut quinque propositiones, non tantum aestimarentur haereticae, quod est quaestio juris, sed ut crederentur in libro *Augustinus* contentae, quod est praecise quaestio facti quam hic tractamus.

3° *Ex ratione.*

Nisi in hac facti quaestione solvenda Ecclesia sit infallibilis, jam finis magisterii ecclesiastici sufficienter non obtinebitur. Condemnatio enim libri, de qua hic agitur, duo includit: decretum disciplinare illius libri lectionem interdicens, et decretum doctrinale declarans in eo contineri doctrinam falsam. At, si in hoc ultimo Ecclesia non est infallibilis, multi de priori non curabunt; et aliunde, antequam liber proscribatur, multi jam de facto hunc legerunt, et multi etiam post latam sententiam legere solent, aut ex mala curiositate, aut ex debita licentia; inter caeteros autem, plures ex legentium relatione plus minusve sciunt quid

in hoc libro contineatur. Jam vero, cum hi omnes interne assentiri non teneantur iudicio fallibili Ecclesiae circa doctrinam libri condemnati, hinc alii habebunt librum uti orthodoxum, alii ut heterodoxum, nec aderit iudex qui hanc controversiam de re ad fidei integritatem et unitatem plurimum attinente, definitive dirimere possit. Ergo finis magisterii ecclesiastici sufficienter non obtinebitur.

386. Dico 2^o : *Ecclesia est, jure divino, infallibilis in servorum Dei canonizatione.*

Canonizatio est definitiva Ecclesiae sententia universis fidelibus praecipiens ut aliquem Dei servum jam defunctum, tanquam regnantem in coelis habeant, dignamque cultu publico, secundum solemniore ritus in Ecclesia receptos, ubique honorari. Ritus autem illi solemniore, qui pro canonizatis permittuntur, videre est apud canonistas.

Probatur thesis, quam tenent omnes fere theologi, et quae videtur omnino certa.

Etenim 1^o Sanctos canonizando, Ecclesia omnibus fidelibus praecipit, ut credant personam canonizatam in coelo regnare. Atqui, si id quod Ecclesia praecipit credere esset falsum, jam sibi arrogaret jus ipsi non competens, et deficeret.

2^o Praeterea, Sanctos canonizando, Ecclesia implet officium sibi a Christo concreditum his verbis : *Docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Patet enim cultum Sanctorum, esse unum ex his quae mandavit Christus. Atqui, in implendo officio sibi commissio, Ecclesia efficaciter adjuvatur, seu, non errat.

3^o Praeterea, Ecclesia infallibilis est in iis omnibus

definiendis, quorum veritas necessaria est incolumitati fidei et morum, ac proinde quae falsa esse nequeunt, quin sanctitas et imo existentia cultus ecclesiastici in periculum veniant. Atqui, si Ecclesia in sententia Canonizationis errare possit, jam sanctitas, imo et existentia cultus Sanctis rependendi periclitabitur. Posito enim Ecclesiam in hujusmodi causis errare posse, jam non repugnabit honores publicos deferri damnato, vel animae in purgatorio detentae. Si persona canonizata inter damnatos jaceat, nonne labefactaretur sanctitas cultus? Quid enim *in se* minus sanctum, quam reprobo cultum publicum reddere, quidquid sit de bona fide honorantis? Et insuper, quid magis conferet ad cultum Sanctorum deprimendum, quam simplex tanti erroris possibilitas? Si autem persona canonizata gemat adhuc in purgatorio, inde privabitur suffragiis quibus indiget, cum Ecclesia prohibeat pro ea orare. Demum, ideo fideles ad Sanctos honorandos et invocandos stimulantur, quod pro certo teneant eos aeterna gloria decoratos; et hac deficiente certitudine, brevi languescet cultus qui ad quosdam in particulari servos Dei dirigitur.

387. Dixi : *in Canonizatione*, nam de *Beatificatione* non una est theologorum sententia.

Theologi, veteres praesertim, docuerunt in eo Beatificationem a Canonizatione differre, quod prior simplicem licentiam concedat, nec dirigatur ad universam Ecclesiam, sed ad certas tantum personas, aut ad certa loca, nec sit iudicium definitivum, bene vero sententia ad examen revocabilis et ad examen revocanda, quando procedetur ad canonizationem; posterior vero imponat obligationem habendi aliquem defunctum

veluti Coelicolam, spectet ad universos fideles et sit iudicium definitivum et ir retractabile. Non igitur mirum, si sententia olim communior teneat Ecclesiam in beatificandis servis Dei non esse jure divino infallibilem, sed moraliter tantum, ob maturitatem ac diligentiam in hujusmodi processibus adhibitas.

Sed, juxta disciplinam quae post Benedictum XIV praevaluit, quoties Beatificatio fuit formalis, seu facta cum formalitatibus assuetis, non jam iteratur pro Canonizatione processus antea institutus circa heroicitatem virtutum, aut, si agatur de martyre, circa causam martyrii, sed solummodo examini subjiciuntur nova miracula post decretum beatificationis peracta. Unde inquisitiones factae pro Beatificatione judicantur sufficientes ad sententiam definitivam.

Ex qua disciplina, videtur novum robur accepisse sententia eorum qui tenent in Beatificatione, saltem formali, iudicium Ecclesiae esse infallibile, quia dici potest a Papa procedere modo definitivo et ir retractabili, proindeque ad universos fideles dirigi cum vera obligatione habendi Beatificatum tanquam in gloria regnantem. Tota ergo differentia inter Beatificationem et Canonizationem reponenda esset in majori extensione et solemnitate cultus, qui Sancto canonizato reponditur. — Attamen locus est dubitandi an Papa beatificando reapse velit definitive judicare, et non magis ad id expectare, donec Deus novis miraculis sententiam jam prolatam confirmaverit.

388. Dico 3^o : *Ecclesia, approbando religiosam communitatem, infallibiliter judicat, tum de ejus regula, tum de ejus opportunitate.*

Ecclesia, in hac approbatione, duo profert iudicia,

nempe : 1^o decernit talem religionem esse bonam, seu ipsius Constitutiones nihil continere Evangelii praeceptis aut consiliis repugnans, imo nihil quod his apprimae non congruat; ac proinde illarum fidelem observationem esse viam securam ad perfectionem tendendi; 2^o pronuntiat eandem religionem esse in praesentibus circumstantiis opportunam, et Ecclesiae utilem, sicque in numero aliarum religionum admittendam.

I. In priori iudicio, certum est Ecclesiam errare non posse. Tale enim iudicium 1^o dirigitur ad universos fideles, quia omnibus fidelibus talis religio proponitur ut commendabilis; 2^o est de re maximi momenti et ad mores pertinente, quia interest omnium, scire an in tali Instituto degentes, et ejus regulam observantes, sint Deo grati et in viam perfectionis progrediantur. Tale autem iudicium non potest esse erroneum, quin fideles detrimento spirituali, et quidem maximo, exponantur; et hoc sanctitati Ecclesiae repugnat.

II. In posteriori iudicio, non ita constat Ecclesiam esse infallibilem; affirmandum tamen videtur cum sententia communi. Nam approbatio alicujus religionis obligat universam Ecclesiam ad ejus existentiae non obstandum. Igitur, si haec religio in praesentibus circumstantiis foret inopportuna, jam Ecclesia obligaretur ad rem quae esset potius in destructionem quam in aedificationem, et id rejiciendum est. Unde vituperandus est Melchior Cano, qui contendit Romanos Pontifices de facto errasse tam multas approbando religiones.